



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Primum sæculum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

alias circumstantias, sine quibus electio est nulla, servatas fuisse, non est de fide; quandoquidem id non constat Ecclesiae ex aliqua speciali revelatione, ex Scriptura, vel traditione divina, sed solum ex testimonio ipsorum electorum promulgantium electionem.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: quamvis enim non sit verus Papa, nisi sit legitime electus, quia tamen legitima electio est quid praequisitum ad eam definitionem qua Ecclesia declarat hunc numero hominem esse verum Papam, & fides non versatur circa ea quae ad definitionem praequiruntur, sed solum circa ipsam definitionem: illa propositio, *Clemens IX. rite electus est in Summum Pontificem*, non est immediate de fide, sed solum ista: *Clemens IX. est verus Summus Pontifex*. Quod explicatur à simili: sicut enim in definitionibus Summi Pontificis, fides non est de iis quae ad tales definitiones praequiruntur, videlicet de eo quod praecesserit diligens inquisitio aut disputatio circa propositiones definitas, sed solum facta definitione, recte inferitur per consequentiam Theologicam, omnia praequisita ad definitionem posita fuisse, atque adeo disputationem & inquisitionem diligentem, eam praecessisse; fides vero ipsa est duntaxat de ipsis definitionibus. Ita in definitione sive declaratione Clementis IX. in Summum Pontificem, ab Ecclesia facta, id quod immediate est de fide, non est aliud, quod ex praequisitis ad eam, quale est quod fuerit legitime electus, sed solum ipsa definitio, seu declaratio, & illud quod per eam declaratur, nimirum Clementem IX. esse verum Pontificem, quamvis ex hoc recte inferatur per discursum Theologicum, electionem talis Pontificis fuisse validam; subindeque ista propositio, *Clemens IX. rite electus est in Summum Pontificem*, sit certa certitudine Theologica, cui non potest subesse falsum.

ARTICULUS V.

SACRA SUCCESSIONIS ROMANORUM PONTIFICUM SERIES.

Ad complementum huius disputationis, placuit hic sacrae successionis Romanorum Pontificum seriem proponere, tum ad solvenda aliqua secliorum argumenta contra illam fieri solita, tum maxime, quia haec successio tanti sepe estimata est à SS. Patribus, ut D. Augustinus in Ecclesia Catholica per eam se retineri fateatur lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. *Tunc me (inquit) ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui passandas vias suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopatum, successio sacerdotum.* Quod si hoc asseruit S. Doctor de continua quadraginta tantum Pontificum, qui usque ad ejus tempora numerabantur, successione, quid si illam vidisset protractam supra numerum ducentorum triginta trium Pontificum, & à D. Petro Apostolorum Principe, usque ad Clementem IX. qui nunc feliciter Ecclesiam regit, durasse? Ceterum cum innumeri fere historici tam electionis quam obitus uniuscujusque Pontificis, nec non res ab illo gestas, accurate conscripserint, hic tantum illorum Catalogum per unumquodque saeculum breviter contexamus, cum aliquibus observationibus, quas P. Dominicus à S. Trinitate subjungit tomo 3. Bibliothecae Theologicae.

Tom. IV.

I. Saeculum.

1. D. Petrus Apostolorum Princeps.
2. Linus Hetruscus.
3. Cletus Romanus.
4. Clemens Romanus.

Hic statim occurrit dubium, quis immediate Divo Petro successerit, aliqui enim volunt fuisse Clementem, ita ut Linus & Cletus Summi Pontifices non fuerint, sed tantum Petri coadjutores, ob idque inter Episcopos Romanos annumerentur, quae sententia licet habeat plures alicujus etiam notae patronos, probabilius tamen est opposita, quae docet Linum Petro, Lino Cletum, ac tandem huic Clementem successisse, de qua vide Baron. ad annum Christi 9.

II. Saeculum.

5. Anacleus Atheniensis.
6. Evaristus Syrus.
7. Alexander Romanus.
8. Sixtus I. Romanus.
9. Tclephorus Graecus.
10. Higinus Atheniensis.
11. Pius I. Aquileiensis.
12. Aniceus Syrus.
13. Sother Campanus.
14. Eleutherius Graecus.
15. Victor I. Afer.
16. Zepherinus Romanus.

III. Saeculum.

17. Calixtus I. Romanus.
18. Urbanus I. Romanus.
19. Pontianus Romanus.
20. Antherus Graecus.
21. Fabianus Romanus.
22. Cornelius Romanus.
23. Lucius Romanus.
24. Stephanus I. Romanus.
25. Sixtus II. Graecus.
26. Dionysius I. Graecus.
27. Felix I. Romanus.
28. Euthychianus Tusculus.
29. Cajus Dalmata.
30. Marcellianus Romanus.

IV. Saeculum.

31. Marcellus I. Romanus.
32. Eusebius Graecus.
33. Melchiades Afer.
34. Sylvester I. Romanus.
35. Marcus Romanus.
36. Julius I. Romanus.
37. Liberius Romanus.

Hujus Papae anno sexto, quo ob incautam cum Arianis habitam communicationem, Roma abire debuit, electus est in Papam Felix II. Sed cum unicum annum, & tres menses duntaxat sedisset in Cathedra, factione Imperatoris Constantij Ariani occisus, Martyr occubuit. Quia autem post ejus obitum Liberius Papa in locum suum restitutus est, multisque annis postea in Cathedra sedet: Veteres Felicem istum, tanquam illegitimè priore Pontifice adhuc vivente electum, non posuerunt in ordine Summorum Pontificum; sed qui referunt, hic incipiunt

Ooo 2

pium